

Antichristi jugo à cervicibus vestris , vestrorumque subditorum : cogitate de abolendis ejus horibilibus idolomaniis , instauranda vera pietate Dei , & in primis de reprimenda ejus satellitum im- mani grassatione ac persecutione , qua passim per vestras terras , in vestros , ob veram ac puram CHRISTI religionem s̄æviunt ac furunt . Tristis illa vexatio optimorum Virorum , vestrorumque fidorum subditorum , quæ ante aliquot annos Justinopoli facta est , scripto publico toti orbi terrarum testata prodiit . Videte ipsi , ac perpendite , quām talis insonium Christianorum laniena vestram clementiam lenitatemque deceat , & quām Vobis honorifica sit . Atqui nihil absurdi , aut impii , aut novi docemus ; quin potius nihil plane nostrum , aut novum docemus ; sed tantum CHRISTI , ejusque Apostolorum auditores sumus , CHRISTI que dogmata , ex sacro sanctis ejus Evangelii desumpta , sequimur & confitemur . Communionem corporis & sanguinis CHRISTI sub discretis speciebus suminus . Sic enim filius Dei , Dominus JESUS , verus Deus , disertè eam & instituit , & præcepit . Sic & Paulus Corinthiis tradidit , sic & veteris Ecclesia diu in usu habuit ; quorum utrumque etiam Constantiensis Synodus testatur . Conjugium legitimum Sacerdotibus à Deo ordinatum , Ecclesiae primitivæ usitatum , & à sacro sanctis Nicano & sexto Conciliis comprobatum , ut tam terræ infinitæ libidines vitentur , concedimus . CHRISTVM planè nihil in ultima sua Cœna de corpore & sanguine suo , præter communionem instituisse (quod ipsius Domini & Pauli verba clare testantur) credimus , & confitemur . CHRISTVM esse unicum mediátorem inter nos & Deum , præterea nullum , eumque aeternam nobis redemptionem unico sacrificio invenisse , quam vera fide accipere debeamus , ex sacris literis discimus , & credimus . Solum dilectum Dei filium audiendū esse , & frustra nos Deum traditionibus & mandatis hominum colere , cœlesti omnipotenti illi Patri credimus . Hæ sunt illæ nostræ horribiles hæreses , (sic enim Christi sinceram veritatem Antichristus Romanus impuro ore blasphemat) propter quas Vos pati ab istis Romanis Sodomitis , vestros fidelissimos subditos lacerari & dilanari , an Vobis vel honestum , vel utile sit , etiam